



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 52. De miraculis subsequitis statim à morte Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

me offeram, ut me accipiat, cum illi maxime libuerit, quamuis in optima aetate & aetatis meae constitutione, & in medijs rerum, quas expeterem, tractationibus; confidens illi, quod in ea aetate, tempore, & loco, quae magis mihi & salutis meae expedient, sit me vocaturus.

MEDITATIO LII.
DE PRODIGIIS, QVAE
Christi post mortem eue-
nerunt,

EST Christi Domini nostri mor-
tem, praeter tenebras, quae illam
praecesserant, secuta sunt alia mi-
racula ob tres fines: ad declaran-
dam videlicet morientis gloriam;
crucifigentis vero populi scelus; & ad pronunci-
andos admirandos effectus, qui erant mortem
illam secuturi.

Vide Intro-
duct. huius
partis.

PUNCTUM I.

ET ecce Velum templi scissum est in duas
partes, à summo usque deorsum.

a Mat. 27. 51
Marc. 15. 36.
Luc. 23. 45.
I.

Huius diuisionis duae fuerunt praecipuae
causae. PRIMA, quod sicut summus sacerdos
Caiphas, cum audiuit à Christo ipsum esse fi-
lium Dei, indicans illam esse blasphemiam

scidit

scidit uestimenta sua, in signum doloris, quo propterea afficiebatur, ita ipsemet Deus, velum templi laceravit, in signum blasphemie & sacrilegij horrendi, quod populus ille commisit, tanta eius filium iniuria afficiendo, vt crucifigeret. O anima mea, si templum es Dei vini, contere cor tuum præ dolore, ob ea, quæ tuus Dominus perpeffus est in cruce, quorum tu causa fuisti. O Deus cordis mei, tu illud manu tua scinde, hunc mihi tribuens sensum, ego enim aded sum imbecillis, vt nõ possim per meipsum illud scindere, vt vellem. SECUNDA causa fuit, vt significaretur Christi Domini nostri morte; aperiri viam ad secreta & mysteria Dei cognoscenda, quæ antea latebant, tum b quia (vt Apo-

b Heb. 9. 8.

c Isai. 59. 2.

stolus ait) nondum propalata erat sanctorum via, adhuc priore tabernaculo in suis umbris & figuris habente statum, tum c ob nostrorum peccatorum velum, quod inter nos & Deum diuisionem faciebat. O Saluator mi, scinde in me hoc velum, quo te cognoscere impediõ, da mihi diuinum lumen, quo tua penetrem mysteria, aperi mihi cœlestium tuorum secretorum thesauros, in eo gradu, qui ad perfectẽ tibi seruiendum mihi expedit.

PVNCTVM II.

a Mat. 27. 51

ET terra mota est, & petra scissa sunt, & monumenta aperta sunt.

I.

HORVM prodigiorum duæ quoque fuerunt causæ. PRIMA, vt creaturæ insensibiles

suo

suo modo, doloris & sensus signum ostenderent, ob mortem Saluatoris; in detestatione duritiei & obstinationis, rebellis illius populi, qui illum crucifixit; & simul ad pudorem incutiendum illis, qui patienti Christo non compatiuntur. O anima mea, quomodo non tremis, & sicut terra contremiscis, videns Iesum in cruce contremiscentem! quomodo non scinderis media, sicut petrae, videns petram ipsam viuam Christum diuidi medium, dum anima ab afflicto se corpore separat! quomodo non pra dolore aperiris, sicut sepulcra mortuorum, videns tuum Saluatorem, per tot vulnera apertum. O mundi Saluator, ne permittas me insensibiliorem esse terra, petris, & sepulchris mortuorum duriores, siquidem cum ego sim qui peccavi, potiori iure teneor sentire, quod tu pateris ob mea peccata.

II.

SECUNDA causa fuit, ut significaretur, quod virtute passionis Christi, tremere corda terrena, ex sancto Dei timore; quod est principium iustificationis; & quantumuis durissima, fore tamen confringenda contritione & dolore peccatorum; & aperienda, ut in confessione patefaciant opera sua mortua, hoc est culpas, quae occidunt animas, ut sic ad nouam vitam cum Christo resurgant; ex quo discam quam sit fructuosum, diuina haec mysteria bene meditari quibus in oratione tres praedicti effectus obtinentur, sicut in huius quartae partis introductione est dictum.

P V N.

PUNCTVM III.

CENTVRIO, & a qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terra motu, & his que fiebant, timuerunt valde, dicentes: vere hic homo filius Dei erat, & iustus, b & omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant que fiebant, percutientes pectora sua, reuertebantur.

a Matt. 27.
c4.

a Mar. 15 39.

b Luc. 23.
47. 48.

CONSIDERANDVM hic; quod miracula illa habuerunt effectus suos, quos prenunciabant, in virtute passionis Christi, mouentis corda eorum, qui illa viderant; vt ipsum Christum, iustum, sanctum, & (quod amplius erat) Dei filium confiterentur, percutientes pectora sua, in signum poenitentiae ac doloris, ob iniurias ei illatas. Et quamuis Centurio ipse & milites, Gentiles essent, & turba illa populi Hebraei, dura & pertinax, in vrgenda morte Christi fuisset, mutati sunt tamen illo momento, conuicti de veritate, innocentia, & sanctitate eius, qui pro eis mortuus est. Accessit autem ad haec virtus orationis, quam fuderat Christus in cruce, orans pro iis omnibus, qui ipsum persequerentur: quae oratio, has cordium mutationes, & hominum peruersorum conversiones obtulit. Exemplo igitur illius turbae percutiam & ego pectus meum, ob admissa contra eundem Dominum peccata, supplicans illi, per passionem suam mihi omnia condonari.

MEDI-